

ejus eo magis se debere profitetur Ecclesia, quo majo-
ra sunt pericula, quibus se cingi animadvertisit, atque
opus habet sinceris operariis, strenue in vinea divina
laborantibus, talibusque pastoribus, quibus rem suam
tuto credere, & salutem suarum animarum committere
possit. Ad quem scopum uti nostrorum Antecessorum,
qui in gaudio Domini aeterno jam constituti sunt, su-
dores, vigilias, atque curas omnes tetendisse constat,
idque documento non uno haud difficulter probatur;
ita in eo studio & nos decurrimus Numinis gratia, &
perseveraturi sumus constanter, nihil aliud habentes pro
fine, quam gloriae nostri Doctoris Summi Jesu Christi
amplificationem, & commoda Ecclesiae, quae in pro-
pagatione verbi genuini per idoneos Doctores & mini-
stros in cathedra & suggestu perficienda, reponuntur.
Unde etiam in Domino nostro laetamur, quod, ubi bo-
nitatem ejus, Ecclesiae suae per factam a D. LUTHE-
RO Reformationem largissime exhibitam, cuius ma-
gnitudo omnem ingenii nostri vim captumque tran-
scendit, publice celebramus, inter ista Solennia se stite-
rint Viri munera Reverendi dignitate admodum con-
spicui, dotibusque omnibus, quae decent Ecclesiae pu-
rioris Doctorem publicum, quam locupletissime a Nu-
mine instructi, qui, postquam omnibus antea, quibus
opus erat, speciminibus felicissime defuncti, Licentiam
imperrandorum honorum Theologicorum a nobis ob-
tinuerunt, nunc ut eos honores sacros in se multa cum
benedictione derivaremus, ab Ordine nostro modeste
& rogarunt, & summam voti sui consecuti sunt. No-
vimus enim, eos ad unum omnes amplecti puram Evan-
gelii doctrinam, quam Ecclesia nostra uno Spiritu & una vo-
ce cum Catholica Christi Ecclesia profitetur, & abhorrente ab